DE
ABORTU.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XXIV. MENS. NOVEMBRIS A. MDCCCXXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS CAROLUS ESSER

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

A. ZARTMANN, MED. ET CHIR. DR.
C. COBLENZ, MED. ET CHIR. DR.
I. DÜNTZER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS C. F. BRETTSCHNEIDERII.

CASIMIRO COBLENZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

NEC NON

IGNATIO DÜNTZER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE CANDIDATO

AMICIS SUAVISSIMIS

D. D. D.

AUCTOR.

„Huc adhibe vultus, et in una parce duobus."

Ovid. amor. Lib. II. Eleg. XIV, 15.

---

§. 1.

Quantacunque diligentissimis omnis aevi scrutatoribus enucleare contigit de animantium intima natura, parum tamen attulerunt nobis certi de ratione, qua futurum animal vivum primam originem duxerit. Quaecunque nimirum de hac re sat gravi conjici et in medium proferri solent, si curatius perspexeris, id solum efficiunt, ut ancipites haereamus. Quod et ubique et in iis cernere licet, quae de hominis origine disputari solent. De qua quidem plura variaque commenta exstant, quin velum illud futuri hominis primordiis praetectum detrahant. Neque hic igitur ea recinere juvat, quippe quae ex ipsius embryonis jam conformati disquisitione, quantumcunque laborem studiumque in eam contulerunt omnis aevi viri doctissimi, certioris lucis vix multum profecere. Quod quidem haud minus valet de commercio, quo nexum [1]) alit foetus cum matre, et contra de eo rerum habitu ac mutatione quibus illud solvens natura, hunc citra legitimum terminum e materno sinu irriti germinis instar excludi jubet. Cujus enim utriusque miri phaenomeni si rationem ex physiologicis principiis sat certam nossemus, clariore inde causarum, quae futuri hominis fomitem istumque ipsum a solito ordine cursuque depellunt, notitia uteremur. Sed fere omnia haec sunt obscura, nec pristini quidem, ex quo omnes exivimus, domicilii leges intelligimus. Quum vero haec humanae prolis abolitio toties haud absque dolore acerbo summam spem fallat, quoties haec in deliciis fuerat piis parentibus, altera jam apparet ratio, qua certe haud leve sed gravissimum potius elegimus argumentum, quum de abortu scripturi, adumbrationem morbi nobis proposuimus, cujus curandi munus duorum hominum saluti prospicit.

§. 2.

Terno nomine ac genere dispescunt hanc graviditatis anomaliam ratione temporis, quo fit ut illius decursus legitimum terminum non emensurus intempestivum finem arripiat. Ex quo enim, foetus intra uterum nutriendi officina, condita est placenta, deinde ex quo iste eam

---

[1]) Schmauck praes. Autenrieth D. de nexu ovi humani cum utero et restringenda in abortu haemorrhagia. Tübingen 1811. 8.

conformationem nanciscitur, qua extra sinum maternum proprio Marte suae vitae sustentandae par fit, epochas depromunt, quae isti divisioni respondent. Quum enim in genere *partum praecocem* (fausse-couche) dicere soleant praeternaturalem uteri praegnantis functionem hujusque eventum quo foetus antequam vitalem maturitatem adeptus sit, ante tricesimam igitur et octavam graviditatis septimanam, ex utero egreditur, commercio inter eum et matrem intempestive soluto: in specie 1) *abortum* hunc dicunt qui ante placentae conformationem absolutam, intra sedecim primas hebdomades, accidit, foetu plerumque integris ovi velamentis secedente, 2) *partum immaturum,* qui foetum nondum vitalem intra decimam septimam et vicesimam octavam hebdomadem emittit, ruptis saepius (nec tamen rarissime integris) membranis, 3) *partum praematurum,* quo jam *vitalis* foetus intra vicesimam nonam et tricesimam septimam hebdomadem editur [1]. Abortus vero, de quo in specie sermo hic est ferendus, haec notio strictissima recentissimo demum aevo contigit. — Priores enim medici eo, tamquam non tempestive orto, foetus ante terminum ex utero exclusionem insigniverunt. Adeoque, strictius loquendo, potest *abortus* (ab-α privativum-oriri) *aborsus, abortio,* in primo impraegnationis exordio contingere, unde et ὁμοτοκιαν alii Graecorum dixerunt, partum immaturum alii, Attici Galeno [2]) teste ἀμβλωσιν, ἀ'μβλωμα, ἀμβλυωσμον, Euripides ἐκτρωμα, ἐκτρωσιν, ἐκβολον, Hippocrates ἀποφθοραν, deperditionem, (quibusdam in locis κυημα ἀνεμιαιον), quia intempestivi tales foetus vel jam mortui, vel si adhuc vixerint, brevi pereunt. Quum vero ante septimum mensem expulsus foetus rarissime vel nunquam superstes servetur, hinc tales sub abortus nomine comprehendere solebant medici: quum vero plura dein haberentur exempla foetuum septimestrium, qui non tantum per diutius servati bonam adeo senectutem attigerant, hinc tales partus dispescere visum est, nec amplius abortus vocare sed simpliciter tantum praematuros. Quum autem primo impraegnationis tempore ovum humanum nondum uteri superficiei arctius annexum sit, ita ut eo tunc elapso vix ullo indicio cognosci queat talis embryonis deperditio [3]) hinc abortus nomen tunc vix mereri a multis credebatur [4]). Quare plerumque a primi mensis fine usque ad septimum mensem absolutum dixerunt abortiri mulierem, quae foetum amiserit. Quumque toto hoc ulteriore temporis intervallo nexu cum utero gaudeat embryo, ejus separatio ab isto, cujus vasa jam aucta mole et sanguine plena sint, fieri nequeat fere, nisi sanguinis major minorve copia sive ante abortum sive ipso ejus tempore ex utero emanet, abortus definitionem proposuit ipse van Swieten [5]): sanguinolentam foetus immaturi exclusionem, ideoque jam priori isti rerum dispositioni et denominationi addictum sese professus. Hinc inde ipsum abortum in tria stadia disponi commode putat temporis decursu idem auctor: *primum* nimirum, quo nexus placentae

---

[1]) D. W. H. Busch, Lehrbuch der Geburtskunde. Marburg 1829. p. 401. — d'Outrepont, Geburtshülfliche Abhandlungen und Beiträge. Thl. I. p. 168.

[2]) Comment. I. in lib. VI. Epidem.

[3]) cf. d'Outrepont l. c. p. 253.

[4]) v. Swieten Comment. in Boerh. aph. T. IV. p. 1. §. 1296. pag. 468.

[5]) l. c.

cum utero solvi incipiat quum huic, quo in loco ista assidet, ibi ovum humanum firmissime adhaerere notum sit; quo nexu soluto vasa sanguinem fundant, qui copia auctus chorii nexum longe debiliorem magis magisque tollat, donec per os uteri exire incipiat, quod stadium *secundum* referat: ac *tertium* denique, ubi foetus immaturus ipse ex utero prodeat. Neque non idem jam denotat frequentius contingere abortum circa tertium mensem, neque absone ejus rationem ducit ex tenero tunc temporis nexu inter embryonem et uterum, respecta simul multarum sanguinea temperie, qua praeprimis quibus antea copiosa fluere solebant menstrua, nunc vasa uterina multo sanguine turgent, unde jam levioris motus, quo gravidae corpus corripitur, discrimen augetur.

Praeter enarratam praecocis partus variam ex vario tempore quo contingit, denominatiomen, ea *abortus* insigniri a quibusdam ipsum quoque foetum immaturum expulsum *(foetum abortivum*, vel Festo teste „quasi matre exterrita ante tempus natum" *exterricinium*, avorton, ἔκτρωσμον) notandum est (praeternaturali ejus expulsione *abortionis* nomine significata). Quidam vero inter veteres Grammaticos embryonis primis a conceptione diebus vel septimanis expulsionem nomine: *aborsus* distinxerunt. Nec non alii ac recentioris aevi scriptores praecocem partum temporis ratione diversum sigillatim singulis nominibus significant: v. c. Cullen qui illum primo impraegnationis mense editum *abortus effluxionem*, foetu vero tres menses nondum exsecuto *abortum subtrimestrem*, priori sex mensium spatio *subsemestrem*, octavo mense *octimestrem* vocat [1]). Exinde patet Cullenium pristino more abortus nomine usum esse sensu latissimo cui bene respondet totius morbosi negotii definitio ab eo posita, Swietenium fere redolens: foetus nondum maturi exclusio, quae saepius comite metrorrhagia locum habet [2]). Paulo arctius istam restringit Stoll, cui est abortus iste partus praecox, qui intra secundum ac septimum mensem succedit, serius intrante partu praematuro vocando [3]).

DECURSUS ET SIGNA ABORTUS.

§. 3.

Saepe abortus haemorrhagiam praegnantis uteri sequitur, quare quaevis metrorrhagia gravidae praesertim sub exordio sine alia manifesta causa accidens minacis abortus suspicionem medico moveat eamque firmet, si reliqua signa mox recensenda ac praesertim lumborum dolores, qui eos ad partum simulant accesserint. Nec adeo tamen raro fit ut abortus citra illam aliamve ullam insignem molestiam locum habeat: ac revera versatissimis medicis testibus sunt, quae tam facili negotio ac fere plantarum more quae prolium multas antequam maturuerint avellere solent, hunc casum superent, ut sponte abortiri videantur [4]) sive ille gravidae mulieri

---

[1]) W. Cullen Inbegriff d. med. Nosologie, Leipzig 1756. Thl. 1. S. 225.

[2]) l. c. Thl. 2. p. 217.

[3]) Diss. med. edd. Egerel. Vol. II. 61.

[4]) cf. Berends Vorlesungen über pract. A. W. Bd. 6., II. p. 297. — P. Frank, Epit. de cur. hom. morb. lib. V. p. II. p. 311. „Vidimus sat multas, quibus fere insciis cruor ex utero prorumpere inceperit, et quae foetum, primis scilicet in mensibus fere quovis sine dolore excluserint mulieres."

parum sensili, sive foetu jam pridem emortuo, sive causa nocente mollissime temperata, sive habituali aboriendi more ac facili inde negotio contigerit. Etenim de quo sermo nobis est, gravidi uteri morbosum negotium cujuscunque morbi more multifarie decursum ac periculum quod affert variare solet, secundum affectae mulieris constitutionem, aetatem, causas evocantes, graviditatis tempus e. s. p. Plerumque autem instans abortus signis suis prodromis gaudet, aliis nimirum alio impraegnationis mense. Quae vero *abortum* (in sensu strictiori, vel ipsum partum immaturum) nuntiant haec eo manifestiora et sinceriora fiunt quo magis e praecipiti urget causa efficiens et quo adultiore foetu inciderit: eadem enim (ut cum P. Frankio [1]) loquamur) quae fructus plantarum regit, humanos quoque in foetus lex imperat: ut nisi plenam jam maturitatem adepti, quo brevius per tempus e ramo materno pependerint, eo quoque facilius hunc deserant, et minoribus a causis concussi in tumulum praecipitent. Tertio saepissime (ac septimo) mense eoque fere tempore, in quod menstrua pridem incidebant, contingere solet abortio: respecto scilicet calculo non satis firmo, quem nimis incerta conceptionis epocha primis sub mensibus ducere solent mulieres.

Praecedunt plerumque artuum insolita gravitas et lassitudo, vertigo, dolores capitis, dorsi, lumborum, coxarum, ventris, anxietas, agrypnia, somnia gravia, cordis palpitatio, pulsus frequens, respiratio difficilis, horripilationes, artuum inprimis frigus, calore exceptum: ac saepe quantum vix putaveris, horror aliquis, cui calor succedit, subito praegnantem prehendit. Aspectus tristis, facies pallida, oculi languidi, circulis lividis obsiti: anorexia, lingua spurca, nausea, gravis oris halitus. Neque levem attentionem sibi meretur fallax valetudinis species, qua priores affectus, graviditatis comites, qui nunc subito e medio cesserunt, ludere tentent. Mammae flaccidae apparent et quae sub dolore ac tensione intumuerant, his magnopere remittentibus, detumescunt, liquoremve aquosum fundunt. Accedit abdominis, ambitu et temperatura diminuti, tensio dolorifica lumbalem et inguinalem regionem potissimum occupans, ac ii, quibus truncus perstringitur, dolores augentur, eos ad partum fere ludentes: quibus mox acerbissimis, uteri segmento inferiore cum portione vaginali profundius descendente, ipsum os uteri internum aperitur, dilatatur repetitis sub nixibus ceditque membranis liquore amnii repletis non sine dolore tumentibus tensisque, ita ut eas vel ipsius foetus quasdam partes tangere liceat: Sic via patet destillanti liquori amnii et liquido e mucoso-seroso cum cruore ex utero fluenti, aucto sub quovis nixu parturientis profluvio, ac ovi membranarum particulis permisso. Quibus signis modo enarratis, nuntiando partu praematuro, accedunt: ponderis ad genitalia urgentis sensatio, hinc tenesmus haud ita recti quam potius vesicae, vana lotii mittendi cupido solito saepius redux, pressionis sensus, quo muliebria deorsum extusque infestantur. Interdum ruptis ovi membranis fragor in abdomine percipi putatur, vix multo post subito foetus in utero haud amplius moveri, ejusque loco sub quavis situs mutatione corpus alienum ultro citroque delabi sentitur. Muliebria ipsa jam mucum vel amnii liquorem male olentem edunt, nec raro dolores urgent iis qui de more partum cient longe graviores, ast plerumque iis, qui abortum primis mensibus

---

[1]) l. c. p. 309.

contingentem comitantur, mitiores, dilatato interea orificio uteri interno, quo integrarum membranarum vel partium foetus singularum attactus patet, interdum jam sanguinis profluvium manat [1]). Quod vero ad ea symptomata attinet quibus comitibus ipse abortus jam incedit, horum agmen, quo prius hic contingit, eo propius abesse a legitimi partus decursu, supra monuimus. Contra, si salvo calculo primis a conceptione septimanis locum iste habet vix prae metrorrhagia (menstrua, cum hoc plerumque tempore incidat) quam redolet, insigniri solet symptomatum ratione. Catamenia, quorum igitur species aemulatur, copiosa nec sine acerbis doloribus funduntur, fluidum exhibent fere viscidum, coagulo perquam propensum, membranaceis partibus permixtum, tunicae deciduae [2]) simillimis, quibus editis graviditatis signa, si quae adfuerant nunc cessant, ita ut, nisi larga haemorrhagia (ut in plethoricis fieri solet) praegressa, mulieres mox convalescant. Ac omnino ratione jam exposita abortus, qui sub primo impraegnationis exordio ac quo propius huic contingit, eo magis, metrorrhagiae menstruae [3]) quam dicunt, aequare solet eum in modum, ut haud raro ipsae mulieres praesertim illae, quibus menses largiores fluere consueverant conceptionis factae nondum consciae abortum se passas esse nesciant, sed salute e metrorrhagiae discrimine laetentur [4]). Haud raro aboriendi negotium intra paucas horas absolvitur, plerumque intra duos vel tres saltem dies, nec nisi raro (ultimis graviditatis mensibus rarissime) praeviis jam per quasdam hebdomades abortus symptomatibus, ipsius foetus exitus adeo usque protrahitur. Emortua jam ovi officina antequam uteri contractiones accesserint, eo citius id ipsum extruditur. Prodromi enim abortus sive brevi temporis spatio recedunt artis auxilio cito ac apte allato, quin ipse abortus eveniat, sive huic praecavendo impar est artis conamen, potissimum vi mechanica quae eum provocaverat subito irruente, liquore Amnii jam effuso, ovi vel placentae solutione ad maximam jam partem facta, foetu emortuo e. s. p. Primo graviditatis spatio trimestri integris membranis, raro articulatim, edi solet humanum ovum. Jam vero conformata placenta vix res cedit, quin istae rumpantur, quo facto ipse foetus citra artis praesidium protrudi solet, secundinarum vero dejectio removeri ac eo diutius quo longius abest legitimus graviditatis terminus. Duae quidem res abortum ejusque stadia constituunt: ovi *solutio,* cruoris plus minusve fundens, istiusque *expulsio* dolorum agmen prae se ferens gravius mitiusve. Vel jam prius stadium revera adfuisse potest, quin alterum ipseque abortus sequantur. Utrumque exsequendum intercedit aut brevissimum temporis spatium aut plurium dierum vel trium, quatuor, sexve hebdomadum. Ac plerumque multo diutius in abortu, quam in legitimo partu

---

[1]) El. v. Siebold im Encycl. Wörterbuch d. med. Wiss. v. d. Prof. d. med. Facult. zu Berlin ib. 1828. Tom. I. p. 63.

[2]) „Qui vero (sub metrorrhagia menstrua) copia morbosa ex utero ruit, cruor, nunc fluidus hic est, nunc in grumos coactus ac interdum, vel in illis adeo, in quibus graviditatis suspicio esse nequit, cum *pseudomembrana* illi quam in gravidis *deciduam* dixerunt non absimili permistus." — P. Frank l. c. p. 303.

[3]) cf. Frank l. c. p. 301 — 5.

[4]) cf. d'Outrepont l. c. p. 255, ubi casus narratur maxime memorabilis abortus habitualis primo quovis mense subcolicae menstrualis specie per triennium fere reducis, feliciter tandem exstincto seminio.

quinta hujus periodus, quae secundinas edendas comprehendit, perdurat. — Ovo jam pridem emortuo, integro tamen relicto, graviditatis quidem quae adfuerant, symptomata cessant sed insolita lassitudine mulieres infestantur, ultra quod putaveris languescunt, noctu incalescunt, passim nausea vel vomitu, hystericisve affectibus laborant, e mammis liquorem serosum lacteum fundunt. Sequitur e vagina opaci liquidi effluxus, gravem odorem spargens, neque remittens, nisi remotis omnibus ex ovo superstitibus recrementis, vel id ipsum in molam hydatidemve se convertisse fertur. Provecto jam graviditatis spatio fieri potest ut foetu quidem emortuo, ipse abortus non illico, sed serius demum accedat.

AETIOLOGIA.

Abortum, quippe quem absque verborum aucupio viviparis modo inter animalia largiri licet, apud humanum genus prae aliis mammalibus frequentius occurrere constat. Cujus rei causas vulgo quidem ponunt in C. H. conformatione, situ ac incessu erectis, uteri descensu qui secundo ascensuque qui tertio mense graviditatis accidit, praeterea deviatione, quae menstrui fluxus sueto tenori contingit ac denique in magna vi, quam gravidi uteri sat amplus consensus in organismum tam maternum quam futuri hominis exsert. Quanticunque haec quidem pendeas argumenta, ne nimium iis largiaris, profecto haud immerito monent [1]), qui in hujus mali apud domestica animalia haud exiguam frequentiam provocantes, vulgarem humanae vitae dispositionem molliorem accusare malunt, haud flocci quidem habentes terminum abortus solennem trimestrem, quo uterus e pelvi minori ascendit, ac ovuli tunc temporis tenellam conformationem, arcendo vitae futurae discrimini, undecunque irruerit, plane imparem [2]). Quodsi itaque de *causis praedisponentibus* in specie (quum eae, quas modo enarravimus universum humanum genus ejusque sexum sequiorem attingant) sermo est, nominandae sunt: primo loco consuetudo ex habituali abortu relicta, constat enim, nullius fere morbi seminium gravius vel adeo irreparabile urgere, quam id ex abortu praegresso relictum, quavis abortus vice insuper accessura crescens, ita ut naturali necessitate quasi insita coactus uterus eodem apprime temporis momento adsueto munere irregulari fungi studeat, quin nisi raro, arti contingat, huic consuetudini reluctari. Neque ad repetitas abortus vices negligenda sunt vitia, quae e prioribus uterus contraxit, c. g. locales affectiones, fibrae atonia e. s. p. Praeterea huc pertinent s. d. constitutio nervosa, quae uteri sensibilitatem ultra modum exaltatam fovet, qua fit ut levissimae noxiae allatae gravissimam hujus systematis turbam ac inde abortum ipsum provocent. Neque minus in eum propensa est diathesis ex plethora tam universali quam uteri locali, erethismo nervoso nupta, propullulans. Neque omitti licet debilitas totius corporis, fibrae inprimis uterinae rigiditas, aetas nimis tenera vel nimis provecta, cui prima graviditas contigit, conceptio brevi ante menstrua-

---

[1]) K. A. Rudolphi in Encycl. Wörterbuch d. med. Wiss. l. c. p. 66.

[2]) Burdach Diss. de laesione partium foetus nutritioni inservientium, abortus causa Lips. 1768. §. 3. „Si multitudinem et gravitatem causarum, quae embryonis interitum et abortum subsequentem promovere solent et tenerrimam ejus fabricam pensitamus, omnino mirandum est tam multos adhuc infantes innumeris istis periculis superatis vivos et vegetos in lucem prodire.“

tionem vel hac ipse fluente exserta menstruus fluxus graviditatis insolitus comes, nimis exaltatus mammarum vigor vitalis per graviditatis tempus, graviditatis exordium sub lactatione vel sub ipso lochiorum fluore susceptum, menses nimis copiosi, debilitantes, leucorrhoea pertinax, uterinae structurae vel positionis vitia. Denique nominari huc meretur imperfecta concipiendi virtus, negari enim haud potest quod experientia testatur, esse mulieres, quae foetum quemvis, non certo quodam tempore conceptum abortu emittunt. Magnam praeterea vim exsert aër ambiens: fit enim coelo austero et severo haud raro, ut epidemico fere more abortus observetur, e. g. sub gravi gelu hiemali, coeli per diutius frigida humiditate, intenso solis ardore ac saepius ingruente coeli fragore: teste Hippocrate tempore verno sicco sed frigido hiemem humidam ac tepidam sequente. Quodsi coelo iniquo accesserint vitae externae angustiae ac aerumnae multifariae e singulari penuria et sollicitudine, annonae caritate, belli calamitate, obsidionis discrimine oriundae, latius latiusque patet abortus frequentia. — Quod ad causas *occasionales*, eae, quo gravius pluresque urgent praedisponentes, eo facilius abortum evocant. Infitias iri quidem nequit haud ita frequentem hunc esse ex mera praedispositione absque omni causa occasionali proficuum (quem abortum *spontaneum* dicunt). Negligendum vero non est quod usu fere quotidiano docemur, impiis matribus praedispositione carentibus perraro contingere, ut prolem non optatam avellant licet omnes injurias, quae ad causas abortus occassionales referri solent, in conaminis quod moliuntur, auxilium vocaverint. Illae ipsae pro rerum, unde proficiscuntur natura ad ternum ordinem redigantur: sive enim *psychicae* (morales), sive *physicae*, sive *mechanicae* sunt. Ad *psychicas* pertinent omnia graviora animi pathemata, neque excitantia subitanea minus, quam deprimentia. *Physicas* causas occasionales praebent omnes morbi eorumque seminia quibus vascularis et nervei syntagmatis totius et uterini in specie, officina vigorque laeduntur, e. g. febres intermittentes praeprimis per trimestre graviditatis exordium, inflammationes locales uteri et organorum annexorum [1]), haemorrhoides et varices, quibus hic infestatur; longum praeterea agmen morborum

---

[1]) Mme. V. Boivin Recherches sur une des causes les plus frequentes et la moins connue de l'avoitement p. Paris 1828. Liceat ex hoc libro multifariis experientiae uberrimae testimoniis referto propter rei gravietatem afferre epitomes instar aphorismos, quos corollariorum nomine sub calce collocavit celeberrima obstetrix (p. 170 — 176).

1) Saepissime originem ducti abortus ex organorum utero annexorum laesione organica. 2) Quae quo putaveris saepius in junioribus adest, 3) cujus causas derivare licet ab inflammatione chronica, irritatione inflammatoria lenta, tela accidentali ibi formata, in quibus praedispositio ad inflammationem acutam horum organorum latet uberrima, 4) ex neglectis diaetae et regiminis legibus ut plurimum oriunda. 5) Cujus affectionis seminia observari licet in puellis junioribus teneris, temperamento lymphatico, habitu scrophuloso praeditis: iisque potissimum quae a teneris inde jam phlegmasiis, viscerum abdominalium infarctibus, diuque habituali alvi adstrictione vel diarrhoea laboraverant, quarum sclerotica subcoeruleo colore translucet palpebraeque longis ciliis muniuntur. 6) Quibus enim menstrua purgatio praecoci sive perdifficili negotio accidere, ac irregulari tenore sive injusto tempore sive copia nimis parca largave fluere solet. 7) Plerumque horum affectuum causas (??) exhibent leucorrhoea, alvi obstipatio: Saepius vero effectus, quam causas. 8) Dubia eorum diagnosis ubique fere explorationem vaginalem requirit, 9) eamque curatissimam, ita ut digito attingens ute-

chronicorum quibus utique conceptio jam utplurimum prohibetur, eorum inprimis, quibus reproductionis ac irritabilitatis, quam dicunt, fabricae corrumpuntur: neque hinc minus perversa diaeta vitaeque dispositio, aestus vel refrigerii injuriae, ciborum conditorum ac ardentiorum, potusque spirituosi abusus, idemque venaesectionum, drasticorum, pediluviorum, balneorum, primis potissimum mensibus contingens, abortivorum usus nefastus, coitus justo frequentior et intempestivus, noxiae per sensus organa receptae e. g. odores pergraves (hoc respectu famosi sunt ab antiquitus moschus et candelae fungi), aëris depravati spiratio, ut gravibus emanationibus (e vicinis coriariorum, carnificum etc. officinis referti) e. q. s. rel.

Mechanicas denique causas exhibent violentiae externae, ipsi utero plus minus damni inferentes: lapsus ex alto, in abdomen, ictus, verbera, uteri orificium nimis irritans digitus, violenta emesis, sternutatio, tussis, cachinnus, convulsiones, nixus vehementiores suscipiendo gravi onere exserendi, vis electrica, motus nimius, vigiliae, saltatio quae jam psychice nocet, strophiarum vestiumque arctiorum prelum, pelvis quaedam deformitates, eaque nimis angusta amplave, uteri ipsius ac viciniorum vitia tam organica, quam quae e situ perverso pendent. Restant denique eae abortus causae, quas e foetu iisque ducunt quae ad eum pertinent, ovi tenella conformatio praecoci abortus tempori respondens, foetus morbi, sed vix tamen adeo saepe, quam

---

rum movere hunc tentes ideoque compertum tibi habeas, utrum hic mobilitate sua naturali gaudeat an ea sublata firmius liberiusve affixus haereat, quodsi enim id locum habet facta conceptione aboriendi discrimen vix mulieri parcet. 10) Quodsi enim organorum utero annexorum vel hujus ipsius cum vicinis coalitus per superficiem peritonaeo indutam factus est, sexualis officinae evolutio, cujus ope uteri ascensus locum habet, facile inde prohibetur. Rarius hac adhaesiones margines pelvis superiores excedunt. 11) Quod ad ordinandum fluxum menstruum commendant, connubium, haud raro spem in eo positam fallit, coitu quem salubrem putaverant, morbosam hanc diathesin evocante potius vel promovente. 12) Nonnunquam autem alterutro tantum effecto ovario aut tuba Fallopii contingere potest facta conceptione, ut praegnanti utero evolutionis legitimae gradum quendam vel ipsum terminum solennem evehi liceat. 13) Sin vero fortior accidit qualiscunque annexus praeternaturalis, ligamentis latis, tubis sive ovariis susceptus, quo firmiter haeret uterus, huic evolutio, quam graviditas ad naturae leges requirit, vetatur, et abortus irreparabili necessitate jubetur. 14) Quo autem rerum habitu abortus non solum contingat oportet, sed plerumque gravi discrimen affert mulieri, sive accessura haemorrhagia, sive metritide, sive peritonitide ulceratione vel ipsa gangraena partium afflictarum haud raro lethali (cujus rei exempla haud pauca referuntur in hoc libro). 15) Neque non observata est aliis in casibus ulceratio abortum secuta, atque vitae discrimen, ex abscessu intus in peritonaei cavum rupto irreparabile, mitius quidem haud tamen absque longo negotio avertere contigit eo, quod aliorsum rupta vomica pus per vaginam, anum, parietemve abdominis iter minus exitiosum legerat. 16) Experientia constat proh dolor! haud raro jam adesse vitiatam istam organorum sexualium conditionem, quin exploratione vaginali ejus indicium compertum tibi habeas. Qui enim nulla alia de causa nisi propter sanam, quam attigerat portionem vaginalem, sanum quoque esse uterum cum appendicibus persuasum sibi habere velit, non raro vehementer fallitur. Cujus enim ipsius visceris ulceratio vix raro e morbosa conditione redundat, qua ejus appendices versantur. Quam novisse haud parum interfuerit medici amputationem cervicis uteri suscepturi. 17) Morbo autem illorum organorum in ipsa eorum intima fabrica coepto, sive ovarii sive

putare solent vel semper ejus monstrositas; foetus emortuus plerumque abortum ciet, nonnunquam quidem remanet [1]) ovo increscente sed ut plurimum vitiosum habitum vel degenerationem induit: quid, quod gravidae gemellos gestanti raro quidem sed nonnunquam accidit ut alterutro foetu emortuo ac per abortum expulso, alterum servet legitimo partu edendum, plerumque autem uterque abortu ejicitur. Praeterea hucce referuntur vitia placentae, (praevia sedes vel inflammatoria corruptela, ei pulmonum structurae corruptae, quam hepatisationem vocant, haud absimili [2]), funiculi umbilicalis (nimia brevitas vel contortus fumis quo vasa nimis comprimuntur), liquoris amnii (nimis rara copia, uteri contractionem intempestivam evocans), velamentorum e. s. p.

PROGNOSIS.

Suum cuivis fere abortui est damnum quod matris valetudini affert, primis potissimum mensibus contingens. Respiciantur enim praeprimis evocata inde metrorrhagia haud raro sat copiosa, seminium futuri abortus, uteri contractio anomala, ejusque comites dolores saepe acerbi. Neque postumi morbi negligendi sunt, serius ocius inde oriundi: variae mensium anomaliae, metrorrhagia, hysteria, leucorrhoea, uteri locales corruptelae, debilitas totius systematis, graves variae febres, ne lenta quidem excepta, phthisiumque genus etc.

---

tubae, mutationis morbificae agmen *intus exire* ac solitarium manere solet, quin vicinia contigua corripiat, sed secretio puriformis, sive concretio inde eventura officinam condunt in ipsius visceris interno recessu; ambiens ejus tela crassescit, fibrarum strata quomodocunque arctius constipantur, ut alienae materiae depositio juvari, collectaque retineri queat, cujus serosae, sanguinolentae, gelatinosae, sebaceae, osseae etc. multifaria exempla prostant. 18) Morbo ineunte si ovarium nusquam cum vicinis organis coalitum subierat, ad latus suum abdominis late patescit ejusque cavum ad maximam haud raro partem replet; utero tam situm tam ambitum suum naturalem servante. Interdum vero ejus integritas inde laeditur et atrophicum reperitur hoc viscus, aucto ovariorum tubarumve volumine. 19) Morbi symptomata, nullo coalitu facto inter tubam ovariumve et vicinia, vix gravia sunt, sed e gradu compressionis pendent qua organon afflictum vicinia urget. Id quod omnino accidit, si tumor per abdominis spatium ultro non cedens, in pelvis cavo haeret ibique se evolvit, sive abdominis cavum quidem occupans ibi autem ultro increscens pectus pulmonesque infestat: quo fit dyspnoea, vel suffocatio minatur, vel inflammatio accedit ejus peritonaei partis, qua tumor obvolvitur: inde facta ex sudatione ascites. 20) Ovarii hydrops cysticus vix grave periculum affert, nisi in enormem ambitum increverit: ac praeter laesam compressione valetudinem naturae vires alenda hac secretione anomala exhauriuntur, quae rapido decursu copiaque abundante nutritionis officinam prosternit, ita ut laeso ac languente mox toto corpore inanitione potius quam dolore aegra enecetur. 21) Quod alio loco fusius exposuimus, ovarii tubaeque, aeque ac uteri sub graviditate evolutionem ab imo sursum procedere, ideoque umbilicum medium versus abdomen resurgere, eo nimirum haec differt ab alius abdominalis visceris tumore nec non ab ascite, ubi ille pubem versus descendit. 22) Testantibus exemplis quae retulimus, haud omnem salutis spem denegat morbi curatio suscipienda, quem quidem praecavere satius, cujus vero exitum funestum protrahere, quantum fieri potest artis auxilio, omnino operae pretium erit.

[1]) cf. Burdach l. c.

[2]) Brachet in Journ. génér. de méd. 1828. vid. v. Siebold Journ. Bd. 9. St. 2. p. 413.

Quod ad gradum discriminis, quod affert abortus id diversum esse pro valetudine praegnantis, graviditatis tempore, causarum evocantium, rerumque aliarum tam internarum quam externarum habitu, sponte patet. Per se quidem discriminis plenus habendus non est abortus, quo enim hic celerius decurrit, eo minus illud urget: neque magni negotii est convalescentia, nisi gravis metrorrhagia adfuerat. Ac revera perrara sunt exempla earum, quae spasmis, haemorrhagiis e. s. p. confectae occubuissent. Abortus e plethora oriundus facilius prohibetur venaesectione opportuna, ac periculo potius vacat, quam idem e febre, inprimis intermittente. Ex locali vitio uteri redundantem praecavere vix contingit. Mechanicis causis evocatus eo minus evitari potest, quo violentius ac magis subito istae egerant. Eae denique causae, quae aut nullo aut non sine magno negotio removeri queant, infestam sistunt prognosin, quia causali indicationi satisfieri nequit: ibique pertinent praeprimis vitia quae ex ipso utero foetuve (haec quidem nonnisi ex post, uti ajunt, noscuntur) pendent.

CURATIO

primo loco tendat eo, ut gravidae abortum jam passae caveatur, ne redeat. Quem in finem non sufficit, arcere omnes causas occasionales, sed morbi etiam seminium exstinguatur, quantum in nobis est, oportet: quod quidem sua difficultate premitur, ne dicam, haud raro id vix ac ne vix quidem effici posse. Monendus tamen est medicus ne quid negligat spemve prorsus mittat, etsi sinistro omine rem suscipiat; sunt enim, quae quotiescunque jam partum immaturum enixae diligentis medici propriaeque curae ope eo pervenerint ut, in quo pietatis maternae spem posuissent, foetum ad naturalem finem gestarent.

Communi talium gravidarum saluti hisce diaetae legibus prospiciendum est: abstineatur quovis motu nixuque violento, nec non coitu aliquamdiu, praesertim eo tempore, quo antea catamenia abortusque jam factus, inciderant. Vitentur omnia quibus animi pathemata provocari possunt, corporis aestus et refrigerium, praesertim repentina vicissitudine nocentes. Vestitus sit simplex, neque calorem nimium fovens, neque refrigerio indulgens, neque praesertim abdomen nimis comprimens aut gravans; diaeta simplex, facilis concoctu, constitutioni respondeat: vitae dispositio placida, tranquilla, neque nimis tamen otiosa vel solitaria.

Si causa abortus habitualis e totius systematis diathesi ducenda est, hanc potissimum respiciat medicus oportet. Quae igitur habitu plethorico ac valde irritabili praeditae sunt, utantur diaeta haud nimis lauta sed vegetabili potius victu potuque tenui frigido. Saepius ac inprimis, quando plethora universalis suis signis manifestius prodit, cauta venaesectio juvat, eo tempore instituenda quo pridem menses redire solebant, eaque, parcior quidem, repetenda per plures menses atque tamdiu, quam vasorum systema orgasmo, erethismo, ipsaque plethora movetur, sanguinisve detractio ipsius voce naturae, e. g. sanguinem e naribus mittentis jubetur. Cavendum autem est ne quis spuriae debilitatis symptomatibus, quae sub habitu plethorico facile ludunt, deceptus, debilitantem methodum negligat. Satis enim constat teste experientia easdem mulieres, quarum non praegnantium nerveum systema incitationi facile patebat vel quae debilitate cum erethismo laborabant, iis nunc saepius fere, quam robustis ac bene nutritis olim,

graviditatis munere evocari plethoram totiusque sanguificationis fabricam fortius vigentem. Praeter sanguinis mittendi necessitatem modo expositam, corporis animique quies commendetur, ac tribus potissimum primis mensibus omnia quibus illa turbatur, caute vitentur.

Praevalente vero, quae abortum civerat, totius ac praesertim nervei systematis debilitate, deficiente nutritionis vigore, utrique ut succurratur, causas medicus sciscitari, morbisque eas exhiberi certior factus, sanare hos studeat. Communem usum hic praebent: diaeta sat nutriens, quotidianus sub divo corporis motus citra defatigationem coelo sereno instituendus, rusticatio, animi hilaritas sustineatur sermone et oblectatione aptis, quietis, vitentur animi pathemata tristia, veneris, victus, coffeae ac theae potuum abusus. Quae nisi sufficiunt addatur medicina roborans: semel vel bis per hebdomadem balneum nervinis confectum exhibeatur, ac medicaminum roborantium quae pro rerum natura graduque eligantur: (fol. aurant, rad. valer., hb. trifol., rad. gentian., lign. quas., extr. amar., chinin. sulphur., corticis Peruviani infus. aut extr. frig. parat.) usus pro re nata per tres quatuorve menses continuandus, alio alioque remedio subinde seponendo, mutando, cunctaque curatione de more in morbis chronicis usitato gerenda. Ad usum externum laudanda sunt pulvinaria et emplastra aromatica, lotiones spirituosae caute instituendae ad abdomen supra pubem, femorum flexuras, ossis sacri regionem cum aqua Coloniensi tepefacta, spir. matrical., serpill., Bals. vitae ext., Essent. balsam., inunctiones cum ungt. de alth. c. bals. vit. ext., nucist., ol. menth. crisp. e. s. p. quibus urgente gravi erethismo spasmis propenso, debilitatis, comite, tinct. opii bene add. potest. Caveatur vero, ne sub usu externae hujus medicinae refrigerium accidat, quippe quod gravidis hisce quidem nimirum omni studio arcendum est, potissimum mammis et abdomini, quae ab omni potius frigore apprime muniantur necesse est. Pendente abortu ab uteri situ perverso, hic quantum ex graviditate licet caute est emendandus. Quodsi uteri *prolapsus* adest incompletus, altero vel tertio mense abortus de more imminet, si gravida de tensione conqueritur, qua ossis sacri regio et de pressione, qua genitalia infestantur. Requiruntur itaque situs horizontalis, osse sacro altius collocando, abdomen omni pressu liberandum, alvus quotidie facili negotio ducenda, lotium saepius mittendum, ac si fulcimento quidem supersederi nequit nullum aliud nisi spongia mollis apte parata, nunquam vero pessarium applicetur. Quae omnia completus uteri prolapsus eo strictius requirit. Nihilo secus sub hoc ipso graviditas ad finem legitimum feliciter gesta) quum recessisset in naturalem situm sensim sensimque ascendens uterus), haud ita inaudita res est, quam mihi ipsi semel jam observare contigit. *Retroversio* uteri eadem fere nec non apprime requirit: jubeatur situs quietus lateralis vel prono abdomine, spongiaque si qua applicatur, cauta manu os sacrum versus imittatur in vaginam. Ceteroquin suam curationem, quam fusius exponere hujus loci non est, utrumque uterinae positionis vitium poscit. Si pelvis spatium nimis amplum abortui ansam praebuerat, summam quietem jubeas, quivis nisus motusque usquam violentus, vestiumque nimius apparatus abdomen comprimens vitentur, expediatur alvus commode ducenda, spongiaque immittatur fultura uterum facile prolapsurum.

Ubi vero abortus causae subfuerant, quas removeri vel earum natura vel graviditas vetat, e. g. vitia organica uteri e. s. p. ibi artis vix est abortum avertere. — Hinc *altero* loco res

est cum instantis abortus curatione, qua, ne ipse foetus emanet, apprime caveatur. Neque ibi causarum respectus negligatur, quarum diversitas diversam methodum sibi exposcit. Parum jam aperto orificio uteri, integris adhuc velamentis, ovo foetuve nondum emortuo, placenta nonnisi carptim soluta, spes superest contingere ut graviditas ad legitimum terminum geratur. Suprema vero lex ac, ut ajunt, conditio sine qua non, animi corporisque supine in lecto cubantis quietem omnibus numeris absolutam requirit. Primo nimirum loco diligenter omnia sunt sciscitanda, quae e habitu petere licet, neque exploratione tam externa tam interna negligenda, ex quibus causam cognoscas, ut ad eam accommodes curandi methodum, quae antiphlogistica sit nimio vascularis systematis vigore pro abortus auctore habendo. Ubi plethora universalis urget, ac si jam mediocris adforet metrorrhagia, venaesectio in brachio omittenda non est, viribus jam deficientibus localis sanguinis detractio instituatur; interne salia media refrigerantia exhibeas, emulsiones et potus frigidos. — Vera debilitas mitioribus tonicis sublevetur, cum analepticis, ubi lipothymiae urgent, jungendis. Praeterea summa quies jubeatur, pro potu exhibeantur juscula, acida e. g. elix. acid. Hall. apto additamento dulcificata. Abdomen pannis obtegatur modice calefactis, si gravior adest metrorrhagia, fomentis frigidis ex mera aqua, vel cum aceto, spiritu vini, sub graviore discrimine linteus glomer aqua et aceto imbutus caute usque ad orificium uteri immittatur. — Methodum antispasmodicam exposcunt dolores, spasmi, convulsiones, haud raro sat graves: ibique plethoricis mulieribus detractiones sanguinis locales vel cucurbitulae siccae ad mammas utique prosunt: debilioribus antispasmodica s. d. flor. Chamom. Rad. Valerian. Ipec. refr. dosi, castoreum, opium e. s. p. Ad externum usum fomenta tepida ex decoct. cham. parata, inunctiones cautae linimenti volatilis c. camph. et opio, ol. cacao, ung. alth. c. opio; clysmata antispasmodica ex fl. chamom. c. opio. Illata violentia externa sive laesione, oriundaque exinde uteri sive vicinarum partium affectione inflammatoria, quae abortum intentat, antiphlogistica methodus in usum vocatur. Dislocatione uteri urgente, is reponatur quantocius fieri potest: ubi vero ejusmodi anomalia per diutius tenuerat, abortum vix ac ne vix quidem praecavere contingit. Quodsi autem ex foetu ejusque officina pendet, quod ansam abortui praebuit, nulla superest fere nisi symptomatica medela. Si placenta praevia centralem sedem in orificio collocavit, protrahi saltem abortum haud raro contingit aptae curationis ac diaetae ope: plethoricis praesertim repetita venaesectio convenit, praeterea quies summa, severa ab omnibus, quae incitantem vim exserunt abstinentia, diaeta tenuis, frigida. Praeviae vero placentae ad orificium sede peripherica (excentrica) ejusdem methodi usu plane praecavere abortum contingit nonnunquam atque graviditatis legitimum decursum sustinere. Abortu autem haud amplius vitando *tertio* loco ejus discrimen quantum fieri potest infringere nostrum est. Cui indicationi ut satisfiat, eo tendendum est, ut quem exseruerit ovi solutio effectus diminuatur, uterique contractio promoveatur. Summam hic nimirum attentionem meretur metrorrhagia, quae tamen vix, nisi gravissima, artis id praesidium, quo partus acceleretur, requirit. In universum enim profecto satius est rem naturae committere, quae primis mensibus ovum integris velamentis expellere solet. Neque ulterius jam provecta graviditate artificii adhibendi urget necessitas, nisi gravior metrorrhagia malave pelvis conformatio adest, qua foetui iter bene legendum pro-

hibetur. Integris ergo velamentis uterique actione satis vigente, naturae opus committamus, ejus autem vi penitus fere prostata vel metrorrhagia irruente, quae medicinam ludit, partus omnino est accelerandus, vix tamen nisi, primis praesertim mensibus, diligenter antea pensitaveris, utrum revera acceleratio partus arte provocanda seu artificialis ovi solutio gravius periculum afferat quam ipsa metrorrhagia: constat enim experientia mulieres largum ex abortu primis mensibus contingente profluvium cruentum summamque exinde exinanitionem non solum sine vitae discrimine superasse sed etiam citius quam putaveris convaluisse. Annuunt huic sententiae experientissimi medici obstetricantes, qui lethalem metrorrhagiae ex abortu eventum se nunquam observasse testantur [1]). Ubi ruptis jam velamentis partus capite praevio incedit, artificio opus non est nisi metrorrhagia aliave gravia accidentia urgent, artis ope superiora. Quae quidem si locum habent duobus digitis ex artis regula in vaginam immissis caute ossis sacri iter legas usque ad caput dorsumque foetus perveneris, quem provide educas. Praeviis vero pedibus, naturaeque viribus non satis vigentibus clunes attrahas. Praevia manu situve transverso (qui teste d'Outrepont [2]) haud raro in partu praecoci invenitur) locum habente pedes caute deducas. Quod ad secundinas attinet, eae haud minori prudentia respiciantur, neque nisi urgente discrimine promovere licet artificio evolutionem earum, quippe quas natura haud raro per plures dies citra ullum damnum relinquit; ac irruente ipsa haemorrhagia contractiones praeternaturales subesse solent, plerumque medicinae ope superandae sine artificio, quod praeterea, si quidem supersederi nequit, summa cautione agendum est ne funiculus umbilicalis saepe tenuis ac tenerrimus deripiatur. Abortu vero sequioribus mensibus vel partu praematuro contingente fieri potest, ut ruptis velamentis et effuso liquore amnii versio sit necessaria, eaque utero nimis contracto haud raro difficillima, quare praemittendus antispasmodicorum usus tam injectionum ope quam internus haud est negligendus.

Superato demum abortu artis praecepta, ex quibus puerperae post legitimum partum curari solent, eo sollertius sunt observanda quo majore vi ac discrimine ille matrem tentaverat. Gravia symptomata, si quae supervenerint, ut haemorrhagiae secundariae, spastici post partum dolores, metritis e. q. s. rel. suam ex artis principiis curationem exposcunt, causarum diligenti respectu haud negligendo. Memorandae hic sunt potissimum haemorrhagiae ex retentis velamentorum recrementis, quas ne violento artificio aggrediaris bene caveas: sed potius iis nondum maximam ad partem solutis nec facili negotio eliciendis, injectiones ex dec. fl. chamom. cum spir. vini applicentur, quibus cruoris profluvium sistatur, istorumque solutio promoveatur: quibus vero in putredinem abeuntibus praeter tinct. castorei internum usum spongia altheae vel alius mucitaginosi remedii decocto imbuta bacilli ope in vaginam ad uteri orificium usque immittatur. Solutis inde et ejectis illis recrementis injectiones applicentur ex hb. salv., cort. salic., chinae c. tinct. myrrhae e. s. p. paratae, aptis simul roborantibus interne exhibendis. Quo-

---

[1]) El. v. Siebold l. c. p. 78.

[2]) d'Outrepont. Von der Selbstwendung. Würzb. 1816. p. 48. und Geburtshülfliche Abhandlung und Beiträge. Thl. I, p. 185.

rum vero usus urgente virium gravi exinanitione caute ac prudenter instituatur: meliusque haec perferuntur, postquam per primos dies juscula nutrientia vini generosi modicam dosin, elix. acid. Hall. dilutum, quieto aegrotantis habitu stricte servando, praemiseris.

Quodsi omnia ex abortu symptomata sanasse contigit *quarto* denique loco nihil negligas, quo antequam nova graviditas inciderit omnia denuo ingruenti abortui ansam praebitura, quantum fieri potest, praevertas. Summum hic quidem locum meretur abstinentia a coitu, ac praesertim tamdiu donec istis antevertere totique systemati eum vigorem reddere contigerit quo futurae impraegnationis faustum eventum sperare licet. Neque minus recuperata jam hac valetudine caveatur, ne coitus locum habeat nisi rarus ac temperatus, neque brevi ante vel post menstruum fluxum, sed altera potius ab eo hebdomade. Facta inde conceptione vel per illud temporis spatium, quo exacto abortus pridem solebat incidere, vel per totam potius graviditatem coitus vitetur, diaetaque supra jam exposita cautissime observetur. Praeterea vero haud negligenda sunt curationis principia, quae sub primo loco supra memoravimus: methodo potissimum constitutioni aegrotae adaptanda. Hinc vigoris vitalis gradum, quo uterus gaudet vitiaque localia, quibus laborat explorare studeas. Quod ad illum attinet abortus habitualis auctorem; sive nimia subest uterini systematis irritabilitas cum statu plethorico ac nimis vegeta vi productiva, methodum temperantem antisthenicam supra expositam sibi exposcens, sive languor ac debilitas ejusdem systematis, foetui ultra certum quoddam temporis spatium nutriendo et sustinendo impar, cui methodus roborans respondet, habendo vero systematis nervei strenuo respectu: laudanda hic sunt inprimis chinin. sulph. ipsiusve corticis usus et martialium quae porrigantur tincturae forma dosique minori, vel usu aquarum medicatarum naturalium tam externo quam interno, neque tamen haud negligenda cautione, ne sanguinis uterum versus congestiones inde oriantur, quibus conspicuis martialia prorsus sunt seponenda. Dislocationes vero uteri eo citiori ac firmiori repositione tollantur, quo magis huic incommoda et adversa foret graviditas. In uteri localium vitiorum medela primum fere locum balnea tenent: illorum singulari naturae haud minus, quam aegrotae constitutioni et praeprimis sensibilitati adaptanda.

V I T A.

Ego Franciscus Carolus Esser, ex pago Effern prope Coloniam Agrippinam die IV. m. Junii A. MDCCCVI., patre Joh. Michael Esser adhuc superstite et pie colendo, matre e gente Klettenberg jam defuncta, natus atque confessioni catholicae addictus sum. Primis, quibus puerilis aetas instrui solet, litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Carmelitanum, quod Coloniae floret, adii, unde post octo annos dimissus, almam litterarum Universitatem Rhenan. Friedericam Guilelmam petii, ibique maturitatis testimonium nactus a Cl. Noeggerath t. t. Rectore Magnifico, civium academicorum et a Cl. Nasse t. t. Decano maxime spectabili med. studiosorum numero adscriptus per sex semestria tam philosophorum quam medicorum ordinis professorum Ill. praelectiones frequentavi hasce:

Logicen, introductionem in studium philosophiae et Psychologiam Cl. van Kalker, Physicen experimentalem Cl. a Münchow, Botanicen generalem Cl. Nees ab Esenbeck sen., Zoologiam et Zootomiam Cl. Goldfufs, Chemiam experimentalem Cl. Gustav. Bischof, Mineralogiam Cl. Noeggerath me docuerunt.

De Osteologia, Syndesmologia et Anatomia generali Cl. Weber, de Anatomia speciali, Anatomia comparata cerebri, Anatomia et Physiologia foetus, Physiologia experimentis illustrata Cl. Mayer, (utroque Cl. duce usus ad dissecanda cadavera,) de Pathologia generali ac speciali, diaetetica, morborum syphiliticorum Pathologia atque Therapia Cl. Harlefs, de materia medica, arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi Cl. Bischof; de Theoria medicinae practicae et de morbis infantum Cl. Naumann; de Therapia generali et speciali morborum chronicorum et acutorum, nec non de morbis psychicis et de Toxicologia Cl. Nasse, de Pathologia et Therapia morborum chirurgicorum, de oculorum morbis rite cognoscendis et curandis, de operationibus chirurgicis, nec non de instrumentis ad illas perficiendas idoneis, de ossibus luxatis fractisque atque de arte fascias rite applicandi Cl. a Walther, audivi disserentes. Artem obstetriciam, usum instrumentorum obstetriciorum me docuit Cl. Kilian. Denique in exercitationibus clinicis et policlinicis medicis Cl. Nasse, in chirurgicis et ophthalmiatricis Cl. a Walther mihi erant moderatores.

Ante annum vero Berolinum profectus a Viro Ill. Hegel, h. a. Rectore magnif. inter cives academicos et ab Ill. Wagner, medicorum gratiosi ordinis Decano maxime spectabili inter med. studiosos receptus, interfui exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels et Ill. Wolff, chirurgicis Ill. Rust, obstetriciis iisque ad simulacrum instituendis Ill. Busch, denique anatomicis ad dissecanda cadavera Ill. Knape et Ill. Rudolphi.

Omnibus his praeceptoribus optime de me meritis maximas debeo gratias, easque palam et sincera mente profiteor.

Tentaminibus vero coram philosophorum, dein medicorum ordine nec non examine rigoroso rite superatis, spero, fore ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

T H E S E S.

I.

Venae non resorbent.

II.

Hydrocephali initium suspicari tantum, non compertum habere possumus.

III.

Emeticorum usus in angina membranacea maximi est momenti.

IV.

Medicinae non minus quam manuum vel instrumentorum ope parturientibus auxilium est ferendum.

V.

Abortui est potius praecavendum quam medendum.